

Concorsi ordinari, per esami e titoli, a cattedre nelle scuole e istituti statali di istruzione secondaria di secondo grado, ivi compresi i licei artistici e gli istituti d'arte e per il conseguimento dell'abilitazione  
**(D.D.G. 31 marzo 1999)**

## SCUOLA SECONDARIA SUPERIORE

### *Ambito Disciplinare 9*

Classe 51/A - Materie letterarie e latino nei licei e nell'istituto magistrale

Classe 52/A - Materie letterarie, latino e greco nel liceo classico

Prova scritta di: **LATINO**

(prova comune ad entrambe le classi di concorso suindicate)

*Il candidato traduca in italiano, a scelta, uno dei due brani qui di seguito proposti. Faccia inoltre seguire alla traduzione un commento, in italiano, volto a illustrare gli aspetti linguistici, filologici, letterari e storici del testo e, per la poesia, anche metrici.*

*Presenti infine una ipotesi di utilizzazione didattica del brano scelto, indicando il contesto di insegnamento e la classe cui intende proporlo.*

### **BRANO 1**

#### **Come e quando sorse negli uomini il senso del divino**

Nunc quae causa deum per magnas numina gentis  
pervulgarit et ararum compleverit urbis  
susciendaque curarit sollemnia sacra,  
quae nunc in magnis florent sacra rebu' locisque,  
unde etiam nunc est mortalibus insitus horror,  
qui delubra deum nova toto suscitat orbi  
terrarum et festis cogit celebrare diebus,  
non ita difficilest rationem reddere verbis.  
quippe etenim iam tum divum mortalia saecla  
egregias animo facies vigilante videbant  
et magis in somnis mirando corporis auctu.  
his igitur sensum tribuebant propterea quod  
membra movere videbantur vocesque superbas  
mittere pro facie praeclera et viribus amplis.  
aeternamque dabant vitam, quia semper eorum  
suppeditabatur facies et forma manebat,  
et tamen omnino quod tantis viribus auctos  
non temere ulla vi convinci posse putabant.  
fortunisque ideo longe praestare putabant,  
quod mortis timor haud quemquam vexaret eorum,  
et simul in somnis quia multa et mira videbant  
efficere et nullum capere ipsos inde laborem.

praeterea caeli rationes ordine certo  
et varia annorum cernebant tempora verti  
nec poterant quibus id fieret cognoscere causis.  
ergo perfugium sibi habebant omnia divis  
tradere et illorum nutu facere omnia flecti.  
in caeloque deum sedis et templa locarunt,  
per caelum volvi quia nox et luna videtur,  
luna dies et nox et noctis signa severa  
noctivagaeque faces caeli flammaeque volantes,  
nubila sol imbrues nix venti fulmina grando  
et rapidi fremitus et murmura magna minarum.

O genus infelix humanum, talia divis  
cum tribuit facta atque iras adiunxit acerbis!  
quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis  
vulnera, quas lacrimas peperere minorib' nostris!  
nec pietas ullast velatum saepe videri  
vertier ad lapidem atque omnis accedere ad aras  
nec procumbere humi prostratum et pandere palmas  
ante deum delubra nec aras sanguine multo  
spargere quadrupedum nec votis nectere vota,  
sed mage pacata posse omnia mente tueri.

LUCREZIO, De rerum natura, V, vv. 1161-1203

**BRANO 2****Il mondo è dotato di vita, sapienza e intelligenza**

Atque etiam mundi ille fervor purior perlucidior mobiliorque multo ob easque causas aptior ad sensus commovendos quam hic noster calor, quo haec quae nota nobis sunt retinentur et vigent. absurdum igitur est dicere, cum homines bestiaeque hoc calore teneantur et propterea moveantur ac sentiant, mundum esse sine sensu, qui integro et libero et puro eodemque acerrimo et mobilissimo ardore teneatur, praesertim cum is ardor qui est mundi non agitatus ab alio neque externo pulsu sed per se ipse ac sua sponte moveatur; nam quid potest esse mundo valentius, quod pellat atque moveat calorem eum quo ille teneatur. Audiamus enim Platonem quasi quandam deum philosophorum; cui duo placet esse motus, unum suum alterum externum, esse autem divinus quod ipsum ex se sua sponte moveatur quam quod pulsu agitur alieno. hunc autem motum in solis animis esse ponit, ab isque principium motus esse ductum putat. quapropter quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur, is autem ardor non alieno impulsu sed sua sponte movetur, animus sit necesse est; ex quo efficiuntur animantem esse. Atque ex hoc quoque intellegi poterit in eo inesse intelligentiam, quod certe est mundus melior quam ulla natura. ut enim nulla pars est corporis nostri quae non minoris sit quam nosmet ipsi sumus, sic mundum universum pluris esse necesse est quam partem aliquam universi. quod si ita est, sapiens sit mundus necesse est. nam ni ita esset, hominem qui esset mundi pars, quoniam rationis esset particeps, pluris esse quam mundum omnem oporteret. Atque etiam si a primis incohatisque naturis ad ultimas perfectasque volumus procedere, ad deorum naturam perveniamus necesse est. Prima enim animadvertisimus a natura sustineri ea quae dignantur e terra, quibus natura nihil tribuit amplius quam ut ea alendo atque augendo tueretur. bestiis autem sensum et motum dedit et cum quodam adipetu accessum ad res salutares a pestiferis recessum. hoc homini amplius, quod addidit rationem, qua regerentur animi adipetus, qui tum remitterentur tum continerentur. quartus autem est gradus et altissimus eorum qui natura boni sapientesque dignuntur, quibus a principio innascitur ratio recta constansque, quae supra hominem putanda est deoque tribuenda id est mundo, in quo necesse est perfectam illam atque absolutam inesse rationem. Neque enim dici potest in ulla rerum institutione non esse aliquid extremum atque perfectum. ut enim in vite ut in pecude, nisi quae vis obstitit, videmus naturam suo quodam itinere ad ultimum pervenire, atque ut pictura et fabrica ceteraeque artes habent quandam absoluti operis effectum, sic in omni natura ac multo etiam magis necesse est absolvi aliquid ac perfici. etenim ceteris naturis multa externa quo minus perficiantur possunt obsistere, universam autem naturam nulla res potest impedire propterea quod omnis naturas ipsa cohibet et continet. Quocirca necesse est esse quartum illum et altissimum gradum quo nulla vis possit accedere. is autem est gradus in quo rerum omnium natura ponitur; quae quoniam talis est ut et praesit omnibus et eam nulla res possit impedire, necesse est intelligentem esse mundum et quidem etiam sapientem.

CICERONE, De natura deorum, II, 30-36

Durata massima della prova: ore 8.

E' consentito soltanto l'uso del vocabolario di latino.